

IN THEORICAS PLANETARVM GEORGII PURBACHII

CHII ANNOTATIONES ALIQUOT, PER

Petrum Nonium Salaciensem.



Voniam hæc Planetarum theoricę secundum doctrinam Ptolemæi & Alphonsi idcirco à Georgio Purbachio conscriptę sunt, ut tabularum canones facilius intelligi possent: nos igitur ea tantum annotare uoluimus, quę ab interpretibus uel non satis, uel non recte exposita sunt. Quanquam scimus pleraque eorum quę in eisdem tabulis scripta sunt, cum obseruationibus quorundam aliorum insignium Astronomorum non congruere. Theorica Solis adhuc ferè modum à Georgio Purbachio enarratur. Sphæra Solis tribus constat orbibus à se inuicem diuisis atque contiguis. Orbis medius æqualis est crassitudinis, cui Solare corpus hæret. Connexam superficiem simul habet cum concaua supremi: concauam uerò cum cōuexa infimi. Et earum centrum extra mundi centrum positum est. Sed concaua infimi & cōuexa supremi concentricę sunt mundo. Sic igitur tota sphæra Solis mundo concentrica est. Extremi orbis partim sunt eccentrici, partim concentrici: sed orbis medius totus est eccentricus.

Mouentur duo extremi orbis super centro mundi & axe zodiaci, eodem omnino motu secundum Alphonsinos, quo octaua sphæra mouetur. Et appellantur deferentes augem Solis. Quoniam enim suo motu centrum orbis Solem deferentis circa cētrum mundi circumuoluūt: augem idcirco Solis eodē moueri motu necesse est. Est autē aux Solis siue apogeon punctum in media crassitudine deferentis à centro mundi distantissimū, terminus uidelicet lineę ab ipso mundi centro per centrum deferentis ductę: oppositum uerò augis siue perigeon oppositum punctum in ipso eodem orbe Solē deferente. Et est hoc tempore Solis aux in secundo gradu Cancris, quam tamen Ptol. posuit fixa sede in sexto Geminorum.

Sol propter motum orbis medię sub ecliptica stellati orbis semper incedit æquali motu super proprio centro, minutis nempe 59. & secundis 8. fere quolibet die secundum signorum consequentiam. Et idcirco apparens motus qui ad centrum mundi refertur, inæqualis est, atque tardior circa augem: uelocior uerò circa oppositum augis.

Bb 3

Linca